...iar.

Freder H

Rationes contra telonii marini exactionem noviter affectatam a. 1637.

RATIONES
contra
Telonii Marini
exactionem
noviter affectatam.
Anno 1637.

I.

PRivilegium Culmense, Anni 1233. ab omni penitus telonei exactione absolvit Terram, Ordini Crucigerorum olim subjectam: cujus Privilegij usus in universâ Prussiâ communiter receptus, at per injuriam Magistrorum Ordinis in exigendâ Daciâ, Pfundzoll dictâ, mercibus mari invectis evectisqve impositâ, iniqvè turbatus, cum alijs gravaminibus, excutiendi tyrannici jugi & mutandi regiminis causam præbuit.

2. Deinde Status Prussiæ, postqvam sui juris esse cœperant, voluntariâ ac spontaneâ deditione Anno 1454. D. CASIMIRO Regi subjecti, Regnoqve Poloniæ incorporati, omnia sua jura ac libertates salvas sibi fore pacti sunt: atqve ut in mutatione Principum commutatam etiam & sublatam deprehenderent oppressionem, Daciam istam, Pfundzoll/ & alia omnia telonea, in Aqvis & Terrâ, in Terris Prussiæ qvomodolibet constituta, expressis Privilegij verbis tolli, abrogari & deponi curârunt, nullo unqvam tempore, ex qvacunqve causâ aut occasione, instituenda aut imponenda: salvis tantùm teloneis antiqvis in Regno Poloniæ, de mercibus mercatorum Prussiæ, extra Regni fines provehendis. Et de hac immunitate peculiariter qvoqve, juxta prædictum Privilegium Terris Prussiæ concessum, Civitati Gedanensi Anno 1457. cautum est.

3. Eadem libertas posterioribus pactis & privilegijs repetita & firmata est: nempè in Pace perpetuâ cum Magistro Ordinis Año 1466. qvæ utrinqve nulla telonea, locis & personis, de novo imponi permit-

tit, tàm in Terris qvàm in Aqvis: in Privilegio Regio Año 1476. qvo Jus Culmense ad reliqvas Prussiæ Terras extenditur, ab omnibus oneribus ac Dacijs inconsvetis exemtas: & rursus in Pace perpetuâ Anno 1525. cum Duce Prussiæ initâ, qvæ telonea in Terris Prussiæ, contra antiquam consuetudinem & privilegia, ab utraq; parte institui prohibet.

4. Transactio D. Regis STEPHANI, pro Se & Successoribus suis Regibus Poloniæ coronatis, cum Civitate Gedanensi inita, de auctione Portorij, ibidem antiqvitùs usitati, **Pfalgeldt** dicti, qvâ cœptum à D. SIGISMUNDO AUGUSTO, & per multos annos tractatum negotium, certis conditionibus ad finem perduxit, in publico Regni Conventu Año 1585. approbata, & in consessu Comitiali Internuncijs Gedanensibus solennissimè sub sigillo Majestatis edita, manifestè disponit: quòd isthæc auctio, mutuo consensu introducta, privilegijs & libertatibus antiquis nil derogare vel præjudicare, portorium id more institutoq; pristino exigi, æstimatio mercium penes Senatum Civitatis permanere, supra eandem auctionem portorium, vel ex Regiâ vel ex Civitatis parte, nullâ ratione amplius augeri, in loco consveto intra Civitatem & non alibi conjunctim percipi, & generaliter omnis percipiendi portorij ratio nunquam inposterum mutari vel innovari debeat. Quam quidem Transactionem à D. SIGISMUNDO III. Anno 1588. peculiari Diplomate renovatam, S. R. M.tas Dominus noster clementissimus, Año 1633. solenniter confirmare dignata, & sub juramento suo Regio, in felici coronatione corporaliter præstitô, conservare sanctè pollicita est,

5. Pactis

5. Pactis Induciarum publicis Anno 1635. statutum est, ut vectigalia in eum reducantur statum, & in illud jus, in quo erant ante hoc bellum; (artic: 5.) commerciaq́; pristina inter utrumq; Regnum restituantur, & in veteri exercitio conserventur, redeantq́; omnia in eum statum, in quo ante hoc bellum fuerunt, ab omnibus novitatibus vindicata; (art: 14.) tùm ut pro majori securitate, & ne quicquam hisce pactis contrarium à quopiam committatur, Ordines Regni & Magni Ducatus Lithvaniæ de impediendâ ac præveniendâ quacunq; hostilitate fidejubeant; (art: 20.) deniq; ut Dux in Prussiâ, Dux Curlandiæ & ex Statibus Prussiæ Regalis Civitates Majores caveant, se non permissuros hostile quicquam ex Portub⁹ suis Reginę Regnoq́; Sueciæ, subjectisq; ditionibus ac Provinciis illatum iri, directè vel indirectè. (art: 21.) Quod speciali cautionis Instrumento, urgentibus Illustrissimis Dominis Commissariis utiusq; Partis, juxta exhibitam formulam, Civitas Gedanensis præstitit, & nihil contra tenorem pactorum se facturam promisit. Unde contraventione aliquâ admisâ, & in speciem hostilitatis acceptâ, ex novo teloneo novæ molestiæ, nova pericula, quietem & tranquillitatem publicam turbare possent: possessione verò & administratione consuetâ Portus Gedanensis Civitati ademtâ vel impeditâ, & classe navali vectigalis causâ, contra morem in legitimis vectigalibus usitatum, ad portum collocatâ, cautionis injunctæ & præstitæ effectus inanis planè & nullus foret.

6. Ab alijs Regibus & Rebuspublicis finitimis ac transmarinis gravissima odia, simultates & damna exinde proventura esse apparet: quibus conditiones compositi belli Prutenici in suo robore conservandi, & commu-

 nem

nem commerciorum libertatem, longęvâ consuetudine quæsitam, & post bellicas exactiones hisce in locis vix recuperatam, constanter asserendi, proprioq; commodo invigilandi, & subditorum indemnitati maturè consulendi studium non defuturum est: accedentibus fortè suspicionibus, quæ ijsdem ad Rationem Status attentis, ac motibus moribusq; sæculi hujus diffidentibus, facilè occurrere possunt. Quantum hinc difficultatis & incommodi in Terras Prussiæ, ac consequenter Rempublicam universam, sublato Pacis ac induciarum fructu, redundare queat, præteritarum calamitatum recordatio, & bellorum in viciniâ adhuc durantium miseria satis superq; monet.

7. Cum nulli vel Provinciæ vel Palatinatui vel Territorio, invitis ejus incolis, onus aliqvod imponi possit: ideò summam & caput qvodammodò libertatis communis attingere, & contra omnes juris rationes fieri videtur (uti quondam D. SIGISMUNDUS III. gloriosissimæ memoriæ rescripsit) si Status & Ordines Terrarum Prussiæ novi vectigalis exactione graventur, in quod nunquam consenserunt; de quo in Conventu antecomitiali deliberatio nulla præcessit; cui DD. Nuncij Palatinatuum Prussiæ in ipsis Comitijs contradixerunt, & tandem plurium dissensu interveniente rem integram ad Suos retulerunt; quod per Jura Terrarum Prussiæ admitti non posse, Status & Ordines ex Conventu postcomitiali unanimiter declarârunt: in quorum præjudicium, cum propriæ salutis jacturâ, Civitas Gedanensis festinatæ executioni se submittere non potuit; sed humilimis Supplicationis suæ literis clementiam S. Reg. M.tis subjectissimè imploravit.

8. Sine

8. Sine consensu Serenissimi Electoris, in Prussiâ Ducis, juxta pacta feudalia & receptam in Portubus Prussiæ æqvalitatis consuetudinem, in communi hac causâ nihil statui; neq; is citra omnium Ordinum Provincialium Ducalis Prussię liberam voluntatem ex Legum pręscripto impetrari; vel ob novissimę cautionis fidem, Regno Sveciæ datã, Induciarum tempore ad novi juris constitutionem sperari potest. Quare D. SIGISMUNDUS III. cum de auctione Portoriorum consultationes suscipiendas aliquando putaret, & sine consensu eorum omnium, qui Portus aliqvos habent, nihil certi determinari posse agnosceret, ad eam rem ritè perficiendam, post cœptum cum Serenissimo Electore & Illustrissimis Curlandię Ducibus tractatum, Civitatis Gedanensis assensum & sententiam solenni Legatione benignè reqvisivit: qvâ cognitâ, & dissensus rationib⁹ clementissimè attentis, neqvicquã innovandum censuit.

9. Magnum Reipublicæ detrimentum, magnum privatarum facultatum dispendium in novo vectigali constituendo vertitur: qvod nuperi belli exactio Spiringiana satis comprobavit. Turbatis enim & depravatis rei mercatoriæ rationibus, commerciorum freqventia, qvæ incrementum affert Regnis & vires auget, paulatim deficiet, & mercatores exteri, libertates suas sectari & nova onera defugere consueti, portus Prussiæ non minus sponte suâ aversabuntur, qvàm authoritate Superiorum adacti necessariò declinabunt; Gedanenses verò aliją; Pruteni, ob novitatem rei inopinatæ & noxiæ, in peregrinis regionibus citra culpam suam exosi, commercia solita apud exteros deserere cogentur: adeoq́; cessante negotiationis mutuæ commodo, ac in alias Civitates maritimas spe lu-

cri

cri majoris derivato, proventus incolarum Regni & Magni Ducatus Lithvaniæ maximâ sui parte minuentur, & serâ pœnitentiâ ductis damni remedium sine notâ aliqvâ vix suppetet. Quod eò magis verendum, qvò acerbiùs famosissimi Publicani ex qvestu publico largum qvæstum facere satagent: qvos eodem planè modo nunc, uti in Præfecturâ telonei Suecici, licentiam immodicam sibi sumere, & duplo triplové gravius vectigal exigere conatos esse, cujus solutio qvinquies aut sexies iterata summam mercium nonnullarum capitalem æqvare & consumere qveat, nautarum & mercatorum indicia arguunt.

10. Deniqve, ut plures rationes consultò omittantur, postquam Año proximè elapso 1636. S. R. M.tas Dominus noster clementissimus vectigal aliquod maritimum ad biennium saltem exigendum destinasset; neq; tamen temporaneæ exactionis præjudicium inter belli reliqvias juris indubitati & Boni publici observantia tolerare posset: supradictis rationibuc à Civitate Gedanensi allegatis benignissimè acqvievit, ejusq; desiderijs voluntatem suam accommodando, tantâ pecuniæ summâ gratitudinis loco acceptâ, qvantam in terris Prussiæ nunqvam unâ vice erogatam esse constat, exactione novâ supersedendum, & Reversalibus literis jura & privilegia, libertatesq; & pacta portorij deinceps etiam conservanda & confirmanda duxit.

Responsio

Reſponſio ad rationes adverſarias.

I.

QVi ex adverſo Conſtitutionem Regni opponunt, noviſſimè latam, de rationibus ineundis, ad comparandos reditus maritimos; in eâ conſenſum unanimem deſiderari, adeoq; animam legis deficere fruſtrà diſſimulant: qvod ipſa Conſtitutionis verba palàm præ ſe ferunt, & expreſſam conditionem continent, ne privilegijs & libertatibus, tàm Eqveſtris Ordinis quàm Civitatum, derogatum cenſeatur. Tùm qvoq; contra priorem Conſtitutionem Anni 1633. qvæ in Concluſione Comitiorum proponi vetat, qvicqvid antea à Nuncijs Terrarum communiter receptum non ſit; non modò nullo conſenſu, ſed & frequenti contradictione præviâ, qvæſtionem iſtam prolixis aliqvot horarum diſputationibus in fine Conventus Regni agitatam; & contra privilegij Prutenici diſpoſitionem, qvod omnes cauſas notabiles, Terras Pruſſiæ concernentes, cum communi Conſiliariorum, Spiritualium & Sæcularium, Nobilium & Civitatum Majorum conſilio terminari, tractari & diffiniri jubet; necnon contra Pacta portorij, qvæ in maritimâ expeditione Civitatis Gedanenſis, qvia præ cœteris illâ afficitur, æqvam rationem haberi volunt; manifeſto Terrarum Pruſſiæ diſſenſu non attento, novitatem facti inopinatò ſubſecutam eſſe, omnibus conſtat.

2. Supremum maris dominium, qvod exemplo aliorum Principum proventus vectigalium conjunctos habere dicitur, indubiam & tot sæculorum usu firmatam immunitatem tollere, & jus legitimè qvæsitum invitis possessoribus auferre non potest: nec summæ potestatis sublimitas obstat, qvò minus pacta conventa & consuetus privilegiorum usus in vigore maneant: verum uti imperium in Terras & Civitates qvaslibet certas libertatum prærogativas non excludit; ita salvo Superioritatis respectu, administrationem Portuum & juris maritimi exercitium, secundum privilegij tenorem, in plenâ ac pacificâ possessione & usu, uti hactenus fuit, deinceps etiam absqve aliquo præjudicio vel impedimento relinqui & conservari fas est.

3. Si qvis ab eo tempore, qvo Sceptro Polono Prussia paruit, prӕter antiqvum portorium, marini telonei exactionem unqvam in usu fuisse, aut D. SIGISMUNDUM AUGUSTUM possessionem vectigalis nautici sibi vendicasse existimet, multum sanè fallitur. Nam laudatissimi istius Regis ætate extra Prussiam quidem Civibus Gedanensibus, in Regno Poloniæ mercaturam exercentibus, contra morem veterem & privilegiorum præscriptum, nova telonea privato ausu primò imposita fuere; de quibus sæpius conquesti, & Responsis, Mandatis, Decreto atque Edictis Universalibus Regium patrocinium experti sunt: naves etiam speculatoriæ ad prohibendam Narvicam navigationem, ne Mosco hosti vires adderentur, Anno 1566. mari immissæ, amicis pariter ac inimicis infestæ, & damna ingentia Civitati Gedanensi in Regno Daniæ causatæ, novarum turbarum occasiones præbuêre; [quale prædonum & speculatorum genus D. Rex

STE-

STEPHANUS in Privilegio suo planè abominatus est, suoq; & successorum nomine sustulit:] at de Vectigalibus novis intra Prussiam nihil autoritate Regia statutum est. Quin imò cum per Commissarios, instinctu adversariorum in Civitates Prussiæ destinatos, status earundem odiis malevolorum & arbitrariâ privilegiorum interpretatione admodùm turbatus esset; etsi de portorij soliti auctione, in usus Regios certis conditionibus concedendâ, per plures annos cum Ordinibus Civitatis Gedanensis tractatio intercessisset, ea tamen usqve ad D. STEPHANI tempora nondum definita, nedum exactio portionis Regiæ ad effectum deducta est: qvod ipsa portorij Pacta luculenter testantur. Qvæ autem aliàs vel in præjudicium usitati juris, contradicentibus & protestantibus Ordinibus universis, in præfatâ Civitate attentata & constituta; vel in Comitijs Regni Anno 1570. Delatorum importunitate facta, inq; Civitatis contumeliam & damnum ab Internuncijs ejusdem, (ex qvorum numero primus, dignitatis & existimationis jacturam passus, probrosam justo mœrore vitam clausit) sive vanâ spe seductis, sive metu adactis & privati periculi minis territis, gesta dictaq; & extra Instructionis metas acta sunt; (qvæ cum teloneo nihil commune habent, sed delectationis ergò ad conciliandam invidiam nunc passim circumferuntur) ob defectum mandati nunqvam eo loco habita vel eum effectũ sortita fuerunt, acsi publico nomine culpam aliqvam reatus agnosci vel pœnas meritò sustineri oportuisset: nec vi istarum actionum & Constitutionum Commissorialium qvicqvam de statu Civitatis immutatum est; sed omnes ejus Ordines ac Cives realiter & effectualiter ab isthac tota Commissione, & omnib[9] ejus attinentijs & gra-

 vami-

vaminibus, per pacta portorij relevati & liberati, post cassationem obtentam, jure, honore ac fide integra gaudent: detentos qvoq; Pręconsules, absolutorio Decreto dimissos, publicæ salutis curam privatis damnis ac periculis, in se conjectis, potiorem habuisse, & superatis adversitatibus innocentiæ suæ fructum, cum perpetua defensæ libertatis laude, sine ulla famæ maculâ reportasse publicè iñotuit. Qvam totius fabulæ Catastrophen, nec callidè reticere, nec libenter ignorare debent, qvi controversias dudum abolitas ex obsoletis chartis in Theatrum producere gestiunt.

4. Necessitatis assertæ vel speratæ utilitatis prætextum facilè vincet damnorum & discriminum comparatio, qvæ novis necessitatibus Rempubl. implicare & novi consilij emolumentum evertere possent. Neq; enim diffiteri licet, superioribus annis & sæculis, haud minore Majorum prudentia Reipubl. prospectum, & sine cujusqvam injuria legitimis ac salutaribus medijs necessariæ defensionis curam, tot tantisq; bellis gloriosè gestis, susceptam esse. Itaq; ne novum securitatis præsidium in triste contentionis & infortunii receptaculum degeneret, ejusq́; negotij successus intolerabilior qvàm felicior evadat, summopere cavendum est. Qvod si maximè locupletandi ærarij spes subsit, non tamen protinus Prussia juribus suis exuenda erit; aut eadem ratione proventus Ecclesiastici & Capitaneatus seu Pręfecturę bonorum Regalium Thesauro Reipubl. addicendi venient: cum nihil possit esse utile, qvod non simul sit honestum & justum; neq; adeò contributionum onera solita, in fraudem aliorum, insolitis & illicitis gravaminibus permutari æqvitas svadeat.

5. Atqvi

5. Atqvi in se ipsos onus omne redundare, & pretio venditionis mercium Polonicarum tantundem decedere, vel emtionis rerum exoticarum accedere ajunt, qvantum vectigalis nomine penditur; nec mercatores sive Prutenos sive exteros id afficere: qvos impensarum qvarumvis calculo subducto indemnitati suę probè consulere opinãtur. Hæc si tàm vera qvàm speciosa essent, & ab intentione affirmãtium non aliena, rectiùs utiqve & convenientiùs, illæsis Prussiæ juribus, in ipsa Polonia tributo isto merces venditas emtasq; decimari sinerent, qvi immunitatem teloneorum, Eqvestri ordini competentem, inter præcipua libertatis pignora hactenus tuendam duxerunt. Qvoniam verò de peregrinis idem dici potest, qvod nempè vilius merces suas venditụri, carius nostras domesticas emturi sint: utroq; modo ostenditur, difficillimam cōmerciorum rationem fore, & mercatoribus Prussiæ, præcisis victus qværendi medijs, ex nova rerum perplexitate extremam perniciem & fortunarum exitium imminere; qvæ inseparabili nexu Regnicolarum commodis ac incommodis cohærent.

6. Moderatiùs sentiunt, qvi Privilegia Prussiæ non localia, sed personalia esse putant: errore tamen aperto ducuntur, non modò disertis Privilegiorum verbis, sed & continuâ consvetudine, qvæ optima legum interpres est, vehementer repugnantibus, & universè omnem intra Prussiæ terminos telonij institutionem, in Poloniâ omnem novam in Prutenos impositionem, distinctim amoventibus: qvorum respectu Exactio, qvondam ad album montem Vistulæ contiguum cœpta, subsistere non potuit, sed ad Fordanum translata incolis Prussiæ minùs molesta visa est.

 7. Cau-

7. Cautionem insuper adhibendam svadent, ne voluntariâ submissione juribus antiqvis præjudicium creetur. Ast qvia protestatio facto contraria parum prodest, & in portorij pactis cautionis hujus vinculum extat: non licet amplius privilegiorum effectum inani cautione frustrari: ne idem eveniat, qvod neglecto Indigenatus jure, pluribus cautionibus suffulto, nimis grave Prutenis accidit; postqvam abusus nimias vires sumsit, & postpositis veris indigenis, dignitates & officia, Castra & Tenutæ freqventiùs extraneis conferuntur.

8. Mirum alijs videtur, cum hostiles Svecorum exactiones toleratæ sint, eas S. Reg. Majestati & Reip. denegari. Mirari tamen desinent, cum hostem ad tuenda jura & privilegia non teneri meminerint, qvia hostis est: Regem verò clementissimum & Patrem Patriæ juribus, juramento suo & subditorum suorum firmatis, inviolabiliter conservandis obligatum esse, qvia Rex & Pater est: qvem hosti æqviparare velle, & dictu nefandum, & cogitatu absonum videtur: qvi ideò pacem restituit, ut hostilia facta cessarent, nullatenus ad imitationem trahenda.

9. Ne scrupulum moveat, quòd in Civitate Gedanensi contributiones aliqvæ, Zulage vocatæ, exiguntur; sciendum est, plenam Regiam potestatem Ordinibus Civitatis ex Privilegio Casimiriano Anni 1455. competere, Contributiones sive pecunias subsidiarias de omnibus bonis & mercibus, pro temporum ratione ipsiusqve Civitatis commodo, indicendi ac vicissim remittendi, prout ipsis melius & utilius videtur, sine

ullius

ullius interpellatione vel contradictione: eoqve jure suo antiqvitùs usqve ad hæc tempora ita eos uti, ut collectas qvasdam modicas & tolerabiles, ceu usus postulat, sibimetipsis suisqve bonis, & mercibus in dominio suo constitutis ultrò imponant, easqve subinde ex naturalis rationis dictamine minuant, (veluti jam post pactas inducias factum) ne in propria peccent commoda; & qvoniam reditus opinione tenuiores inde comparantur, æris alieni adminiculo sumtus publicos sustentent: qvo ipso nemini nocent, sed propriarum facultatum profusione communem utilitatem securitatemq; pro salute Reip. promovent, qvam nuperi belli Prutenici testimonio, fideliter ac constanter ope opibusqve tutati sunt. Itaqve in Privilegio Anni 1457. qvo telonea maritima prohibentur, anterius illud nominatim excipitur, neqve ei qvovis modo derogari conceditur. Istæ autem Contributiones civicæ, qvia lucro Civium decedunt, & inter expensas domesticas computantur, non magis ad alios pertinent, qvàm capitationis & centesimi nummi census, vel reliqvorum sumtuum privatorum erogatio: qvos vel industriâ, vel parsimonia resarcire boni patresfamilias conantur, nec tamen semper intentionis suæ scopum asseqvuntur, lucri damnivé qvantitate, pro vicissitudine ac varietate circumstantiarum, varias vices mutante.

10. Tandem omittendum non est, qvod ex biennij mentione, in Rescripto S. Reg. Majestatis novissimo factâ, transactionem eam tempore finiri, vel promissione istâ S. Reg. Majestatis Rempub. non teneri

absur-

abſurdè qvidam exiſtimant: ſiqvidem multò minus perpetua immunitatis convulſio, qvàm temporaria ſuſpenſio ferri poteſt; & nemo tàm rationis expers videri debet, qvi grandem pecuniæ ſummam expendere velit, ut jus certum & immutabile, cujus uſum perpetuum interrumpi non patitur, brevi temporis exitu terminetur: neqve porrò pactionum veterum fides, præſertim eo tempore primitùs data, qvo Reges ex ſententia Senatus Imperio functi ſeparatas à Repub. rationes non habuerunt, Regia authoritate hucusqve conſervata, in dubium vocanda eſt, niſi univerſa ſimul jura antiqva, ipſamqve Terrarum Pruſſiæ incorporationem, novandarum rerum ſtudio antiqvare libeat.

Hiſce ad Juſtitiæ bilancem æquo judicio examinatis, quid de toto negotio ſtatuendum ſit, Patriæ, Pacis & Libertatis amantes rectiùs æſtimabunt.